Quòd uero medius eorum, id est, b c a, ualeat $\frac{4}{7}$ unius recti sic demonstro. Quadrangulũ a d b c, habet angulos quatuor rectis æquales, & duo maiores simul sumpti ualent $\frac{20}{7}$ unius recti. Ergo duo minores ualebunt (si simul computentur) $\frac{8}{7}$ unius recti, & uterq; eorum ualebit separatim $\frac{4}{7}$ unius recti.

Demum quòd minimus eorum, id est, b a c ualeat $\frac{2}{7}$ rectis, Patet ex prædictis, Scilicet a b c, est triangulus, cuius angulus b ualet $\frac{8}{7}$ unius recti, & angulus c ualet $\frac{4}{7}$ unius recti, ut demonstratum est. Ergo angulus eius a ualebit $\frac{2}{7}$ unius recti. Quia necesse est tres angulos cuiuslibet trianguli simul sumptos, cõtinere duos rectos. Itaq; $\frac{12}{7}$ subtractæ à 2. Relinquunt $\frac{2}{7}$. Item quia angulus d a c, facit $\frac{4}{7}$ unius recti, ut paulo superius est demonstratum, & d a b angulus, facit $\frac{2}{7}$ unius recti, necesse est b a c facere $\frac{2}{7}$ unius recti, &c.

Sequuntur nunc quædam pulchræ reductiones æquationum Hiero. Card. ex Capite 22. & ex Capite 51. transcriptæ.

Sint æquata. 25 + 4 ʒ + 2 ce. cum 16 ℞ + 55. Quæstio est quantum faciat 1 ℞.

Sic operatio fit.

Additur utrique partium æquationis hoc connexum. 2 ʒ + 10 ℞ + 5. Et tunc 2 ce + 6 ʒ + 10 ℞ + 30. æquabuntur cum 2 ʒ + 26 ℞ + 60.

Diuide iam utrunq; æquatorum, per 2 ℞ + 6. tunc inuenies 1 ʒ + 5. æquari cum. 1 ℞ + 10. Et cum 1 ʒ. æquetur. 1 ℞ + 5. faciet 1 ℞. √ʒ $5\frac{1}{4}$ + $\frac{1}{2}$.

Sequitur alia reductio æquationis & resolutio radicis, per Hieronymum Cardanum.

Sint æquati 3 ce, huic connexo. 21 ℞ + 18. Est quæstio quantum faciat 1 ℞. Operatio Cardani.

Adde utriq; partium æquationis 12 ʒ + 9 ℞. tunc inuenies æquari 3 ce + 12 ʒ + 9 ℞. cum 12 ʒ + 30 ℞ + 18. Diui